

lum concretum personae, expuncto concreto naturae, lectoribus obtruditur, ubi humana idiomata de Christo homine, divina de Christo Deo, dicuntur & praedicantur, adeoque vinculum communicativum unionis personalis & intimum tollitur. Quam confessionem non sine intimo cordis dolore quo contemplamur diutius, eo magis illa nobis displicet, & spem sinceræ unionis, etiam Ecclesiasticae externae saltem, penitus pessundat. Misera sane fides, ubi homini credere sufficit, Christum, Deum & hominem, omniscium, omnipraesentem & adorandum esse! Quis enim ignorat, Deum esse omniscium, hominem nudum talem non esse? Itane mysterium πεί-  
σιν ἀποδοχῆς ἀξίον erat lacerandum?

#### Momentum V.

**N**on potest affirmari, nostrates cum Reformatis ita pugnavisse, ut alter alterius mentem non satis intellexerit, nec sola conjunctio naturarum & idiomatum, utrinque concessa, controversiam tollit, sed potius exasperat.

Ἐκθ.

S. I. **V**erba Allocutoris sunt: Si penitioris judicii lucernam rebus curatius hic inspiciendis admoveamus, videbimus illico, Andabatarum more hic pugnatum haecenus fuisse, unamque partem alterius mentem haud satis intellexisse. Jam enim ubi Reformati negant, communicationem attributorum inter duas naturas dari, eam intelligunt, quae per transfusionem fit, qua idiomata seu attributa divina in humanam naturam transfundantur, & transmeent, quam vero nemo est Theologorum A. C. tam insulsus, ut statuatur; & ubi Theologi A. C. affirmant, dari utique communicationem istam idiomatum, eam saltem indignant, quae est secundum conjunctionem, qua divina & humana natura in Christo personali-

E 2

ter